

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA XVIII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 22. v. 34. -- 46.

EXORDIUM.

Postquam Deus Mos oretenus indicaverat, quomodo ab Israelitis coli vellet, ex abundantia duas tabulas lapideas ipsi dedit, in quibus decem præcepta digito suo insculpsit, quæ postea aliquamdiu in arca fœderis asservata, Exod. 31. v. 18.

Hoc non sine ratione factum. Licet enim lex decalogi hominum cordibus inscriptum sit, Rom. 2. v. 14. ita ut sancti Patriarchæ dudum antè promulgationem ejusdem, vitam suam ad eam conformiter composuerint: Jacob simulacra abjicienda præcipit, Gen. 35. v. 2. Abraham adjurat Eleasarum, Gen. 24. v. 3. Seth cultum Dei instituit, ut cœptum sit tempore ejus invocari nomen Domini, Gen. 4. v. 26. Noah maledicit filio Cham, quia ipsi illuserat, Gen. 9. v. 25. Cain punitur ob perpetratum parricidium, Gen. 4. v. 11. Joseph commendatur ob castitatem, Gen. 39. v. 7. seqq. Jacob molestè fert, quod locer ipsum furti instigulat, Gen. 31. v. 36. & ita ulterius.

Attamen Deus actum hunc solennem in monte Sinai instituit, ne quis excusationem haberet de ignorantia suâ, Joh. 15. v. 22. Hinc Micha cap. 6. v. 8.

Quod verò duas tabulas lapideas adhibuerit, id memorabile est, si intuemur

1. *Qualitatem.* Lapideæ enim fuerunt. Rabbini Judæorum è pretioso Saphyro confectas fuisse asserunt, quod quia textus,

non meminit, suo loco relinquimus. Quod verò lapideæ fuerint, eò Deus nobis ostendere voluit

1. *Cordis nostri rigorem.* Ut enim lapides duritie polent: sic & nos naturâ corda lapideæ habemus, quæ legi repugnant, Rom. 7. v. 24. nec molliri possunt, nisi digito Dei, qui legem suam cordibus nostris intcribit, Ezech. 36. v. 26.

2. *Legis suæ valorem.* Veluti enim lapis durabilis est, & quod ipsi insculptum, non facillè extinguitur: Ita Deus legem suam lapidibus insculpsit, ut indicet, eandem æternam duraturam esse. Sicut enim ipse in essentia sua immutabilis est: sic & immutabilis est in voluntate sua. Deus ego & non mutator, Mal. 3. v. 6.

II. *Dualitatem.* Quia enim homo duo objecta habet, quæ ipsum officii sui commonent, nempe Deum in cœlo, & proximum in terra: legem quoque suam in duas tabulas distribuit. Prima agit de dilectione Dei in cœlo, altera de dilectione proximi in terrâ.

Sicut igitur Deum diligere tenemur propter ipsum, quia est summum bonum, à quo omne datum optimum & bonum perfectum, Jac. 1. v. 17. ita & proximus diligendus est nobis, quia eundem Deus nobis diligendum præcipit. Id qui non facit, pro amatore Dei haberi nequit, 1. Johan. 4. v. 19.

Sicut autem utraque tabula in arcâ fœderis

deris asservata est: Ira & Seryator noster, eius typus arca fœderis fuit, Rom. 3. v. 25. quandoque legem prædicavit, ut in specie exemplum habemus in prælecta Pericope, ubi Scribæ ad quæstionem de præcipuo mandato responderet, & utramque tabulam adeò artificiosè conjungit, ut idem non inveniatur in universa Scriptura, inquit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.

Nos instituti nostri memores considerabimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

DE Samfone legimus, quod hostes Philistiim ipsi multas insidias struxerint, dum funibus eum ligarunt, hæc opinione, ut illum caperent & perimerent: Verum Samson rupit vincula, quasi fila telarum, & elapsus est è manibus eorum, Jud. 16. v. 12.

Quod Samsoni accidit, idem & Christo, cujus typus Samson fuit, accidisse in Evangelio videmus. Pharisei & Scribæ hostes ejus insensibilissimi erant, varios laqueos ipsi tendentes, per varias easque insidiosas quæstiones, quibus ipsos obturare & auctoritatem ejus coràm populo infringere satagebant: Verùm vincula illa sapientia sua ita dirupit, ut capere ipsum ad eò non potuerint, ut ipse potius proprio illos gladio jugulaverit, & confuderit. Non enim est sapientia, non est consilium,

non est prudentia contra Dominum, Prov. 21. v. 30.

Querela respicit

I. *Hostium veritatis collusionem.* Pharisei & Sadducæi inter Judæos, duæ contrariæ sectæ erant, reciproca invidentia laborantes, ut videre est, Act. 23. v. 8. Verùm ubi Christum res concernit, altera alterius opprobrium vindicatum it. Audientes enim Pharisei, quod silentium imposuisset Sadducæis Christus, convenerunt in unum.

Id Diabolus semper in more habuit, Ammonitæ, Cananitæ, Hethitæ, Pheresitæ & Jebusitæ nunquam concordiam coluerunt inter se: at contra Israel conspirant, & omnem movent lapidem, quo Palestina excludantur, Jos. 9. v. 1. seqq.

Herodes & Pilatus odio dissidebant Vatiniano, verùm ubi Christus ultimo supplicio afficiendus erat, in gratiam redibant, Luc. 23. v. 12.

Ariani & Meletiani principio inter se dissidebant: at animadvertentes Christianam religionem incrementa capere, Syncretismum inibant, & Athanasio orthodoxo ejusque asseclis se opponebant.

Quis nescit in Papatu inter Monachos similitates gliscere, ubi penè singuli Ordines Jesuitas odio prosequuntur: at contra Ecclesiam Evangelicam conspirant, ut in velabro olearii, plenis buccis clamantes: Destruite, destruite, usque ad fundamentum, Psal. 137. v. 7.

En maledictam hanc conjunctionem! trahunt iniquitatem in funibus vanitatis, & quasi funibus plaustrum peccatum, Esa. 5. v. 18. Psal. 56. v. 7. 8.

Veti Christiani tempori inserviant, & quia hostes ad malum faciendum coherere